



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Achatius & Soc. MM. 22. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

gradibus scalam cæli MARIAM salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejonus dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia ANNVTIATÆ titulo colit, florem virginitatis consecravit, semper, dum vixit, intactum, quia HORTO CONCLVso commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicij loco, quamvis currenti sponte, corpusculo admovebat, victus vix unciam appendebat, feminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique addictus, ut loqui eum angulis dicerent, rectius Angelis dicturi. Ajebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.* Et certè Senis cùm ad Sodales Marianos diceret, bene multis id persuasit. Ipse, cùm ASSVMPTÆ VIRGINIS die illa è cælo audisset, Societatem JESV ingredere; post longas cum patre pugnas, MARIAE JESVM junxit. Hunc, quoties studieret, in genua pro volutus vocare; hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salvare; sacrificiis quinis senisve minister assistere, ad conspectum Hostiæ lacrimis manare; cùm verò eo epulo frueretur, inundare etiam. Itaque nullius noxæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit; ut terra cælum dici posset, si plures Aloysios haberet. Ex Virg. Cepario.

*Persuasum habe, perinde te Angeli ductum sequi oportere, atque cæcum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, ejus, qui baculo gressum illius regit, prvidentia in omnibus confidit.* Ex dictis B. Aloysii.

## SS. ACHATIUS &amp; SOC. MM. 22.Iunii.

Quale illud cælo spectaculum fuit, cùm dena hominum millia, pro optimâ causâ & amplifican-

O

fican-

ficando crucifixi nomine , crucibus penderent? Dux felicissimæ multitudinis ACHATIVS fuit , cui contra innumerabilem hostium vim pugnaturo Angelus victoriam spopondit , si Christiana sacra , à quibus alienus tum erat , cum sociis suscepisset . Placita conditio est , Christum adoravit , pugnabit , vicit : utque Deum deinceps ritè coleret , cum victore exercitu in Ararathem montem secessit , ubi , Angelis magistris , omnes Deum amandi rationes felicissimis tironibus sunt infusaæ . Quantum profecissent , patiendo , quod nobilissimum Christianæ scholæ experimentum est , demonstrarunt . Quinque in eos reges armati sunt ; qui cùm procellam lapidum primum effunderent , ii Christi Athletas non ausi contingere , in funditores rediere . Flagris cùm secarentur , terra immanitatem non tulit , totaque intremuit . Quo miraculo permotus Theodorus , cum millenariâ cohorte Martyribus accessit , in præacutas fudes muricesque impulsi , viam complanantibus Angelis , nihil cladis acceperunt . Eò denique ventum , ut quæ Christus tormenta tulit , in iis repeterentur . Ergo spinis redimiti , actique in crucem , per ingens montis spatium pependere optimi maximique testes injuriam cruci fieri , cùm mala res , & infelix arbor vocatur : periissent , nisi pependissent . Ex Lippel. & Mart. Rom.

Signum Crucis erit in cælo , cùm Dominus ad iudicandum venerit : Tunc omnes servi Crucis , qui se Crucifixo conformaverunt in vitâ , accedent ad Christum judicem cum magnâ fiduciâ . Quid igitur times tollere Crucem , per quam itur ad regnum ? Thom. de Kemp. l.2.c.ult.

S.PAU-